

Quod si in aliqua diœcesi, vel ordine regulari, vel Ecclesia quacumque, officium æqualis vel altioris ritus, prædicta Dominica occurrat, statuit, ut Officium et Missa de præciosisimo Sanguine fiat, tanquam in sede propria, in proxima die a festo primæ vel secundæ classis non impedita, transferendo juxta rubricas Officium, quod nequit recitari in propria die.

Declaravit insuper ut Officium recitandum prima Dominica julii nunquam omittatur, itemque ut firma et suo robore permaneant peculiaria Indulta et Privilegia jam concessa, recitandi nempe Officium hoc, vel in Quadragesima, vel alio anni tempore.

Sanctitas Sua ea profecto spe nititur fore ut per merita hujus pretiosissimi Sanguinis, fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati et charitate incensi, vitam ducant ab omni iniquitate alienam, et præmia assequantur æterna. Datum Cajetæ hac die 10 Augusti 1849.

L. S. A Card. LAMBRUSCHINI Ep. *Portuensis, etc.*,
S. R. C. *Præfectus.*

DECRETUM ELEVANS FESTUM VISITATIONIS B. M. V. AD RITUM
DUPLICIS SECUNDÆ CLASSIS.

Urbis et Orbis.

Cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX ab exordio sui Pontificatus, præsentissimum ac validissimum Beatæ Mariæ Virginis patrocinium fuerit expertus, dum ætate nostræ Petri navis undequaque et raro exemplo sævis tempestatum fluctibus jactaretur, et Ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit, super immensa errorum peste longè latèque impunè grassante, et insanientium hominum congerie in Ecclesiastici Status Loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent; ac animo reputans sexto Nonas julii superiore anno, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur Fes-